THESES PHILOSOPHICAE

à generosis quibusdam adolescentibus *ex celeberrimo Lycæo* Leonardino *in* Academia ANDREANA, cum laurea quadrimi *laboris sui præmio hoc anno dimittendis in publicam* συζήτησιν, & ad eruditionis, ac *industriæ suæ specimen exhibendum* propositæ.

Quas (Deo Auspice) sub præsidio D. Iacobi Wemii *pro virili propugnabunt.*

Calen. Iulii in Scholis Theologicis disputabuntur.

Ἀκίνητος ἡ ἀλήθεια, ψευδοδοξία δὲ καταλύεται.

EDINBVRGI,
Excudebat Andreas Hart. 1612.

ILLVSTRI AC GENEROSO DOMINO,

D. GVALTERO DVNDASIO,

à Dundas, *Baroni libero, Equiti aurato,*
in LOTHIANA Eirenarchæ,
DVNDASIÆ *tribus antiquissimæ* Coryphæo:

Et optimæ ſpei adoleſcenti clariſſimo,

GEORGIO DVNDASIO

ejus filio natu maximo.

POſtquam indolata hæc vigiliarum noſtrarum monumenta ex reconditis claſsicorum Philoſophorum gazophylaciis deprompta, ſed tanquam Sibyllæ folia hinc inde diſpalata in unum coëgimus: Proxima cura erat, ut in publicam diatribam, pro receptâ celeberrimi Athenæi noſtri conſuetudine prodirent commodè, typiſque & formulis excuderentur. Sed quorſum (inquiunt naſutuli) veſtra hæc ἡμερόβια, & tanquam ad Hypanim fluvium naſcentia animalcula diem unicum aurâ vitali fruitura, tanto apparatu conſarcinatis, tantoque faſtu hodiè promulgatis; cras blattis tineiſ

neisque pascendis destinata, aut saltem ableganda

—in vicum vendentem thus & odores,
Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis?

Quare etiam Mecœnas aliquis nobis invocandus est, cuius amplitudo & authoritas hos nasutos caprimulgos, ut Hercules Pygmæos, protelaret, fœtum hunc nostrum elumbem sustineret, & mox periturum in vitam longiorem protraheret. Nobis itaque in bivio, aut quadrivio potiùs ambigentibus, tu vir amplissime & ornatissime, veluti Deus de machina, occurristi, dignus certè pulcherrimo illo Apulcii elogio, inter nobiles doctissimus, inter doctos nobilissimus, inter utrosque optimus, qui generis splendorem eruditione, eruditionẽ vitæ candore illustrasti, omnigenisque virtutibus, velut imum & apicem, singularem animi moderationem addidisti. Sed ut duabus (quod dicitur) anchoris freti, contra quoscunque lividorum flatus pro portu tutiùs subsistamus, in tutelæ nostræ communionem advocavimus filium tuum charissimum & clarissimum, ut opum ita virtutum paternarum hæredem: quem generis & eruditionis præstantiâ decus nostrum fuisse toto tricteridis curriculo decurso nôrunt, qui nos nostraque cognoverint. Ille siquidem Græcæ linguæ tyrocinium nobiscum posuit, Rhetoricæ viridaria perlustravit, Logicæ gryphos & Mæandros penetravit, in pulcherrima Philosophiæ palæstra triennii dies noctesque nobiscum luctatus, vires nostras novit, superavit, palmam certantibus nobis abstulit, volentibus retinet, & subsidium ipsius poscentibus hæc illi tecum trophæa posita sunt. Sed dicat aliquis, quid? unicâ filiâ duos paratis generos? At pater & filius

Tam patri similis quam pater ipse sibi

pro uno potiùs quam duobus à nobis habebuntur: Quippe gnatus hic idẽ est quod genitor in se revirescens, & genitor idẽ quod gnatus secũ incanescens. Quicquid enim in parente

est

eſt maturi judicij, completi roboris, acuminis prompti, & virtutis omnibus numeris abſolutæ: id omne (quod certè maximum eſt) in prole fœcundiſsimè germinat, pullulat efflorescit. Vos itaque, ſuaviſsimi gnati pater digniſsime, & prudentiſsimi patris gnate clariſsime, unâ cerâ ſubuixè corrogamus, ut tenues haſce ſudoris noſtri primitias benignis oculis intueamini, & ſerenâ fronte in patrocinium veſtrum ſuſcipiatis: utque illa ſolitæ veſtræ humanitatis aura, cujus afflatum in Theſibus hiſce procudendis jam experimur, præceptori noſtro meritiſsimo nobiſque deinceps aſpiret. Sic livor ipſe licet in nos corroſos dentes exaſperet, illæſo latere evademus incolumes. Dom. Opt. Max. incolumitatem vobis perpetuam impertiatur, quò nos diutiùs Amplitudinis veſtræ umbrâ protecti congratulemur.

Amplitudini veſtræ
devotiſsimi.

David Brounæus.
David Macgillus.
David Steuartus.
David Torrentius.
Gavinus Iunius.
Georgius Kinmannus.
Georgius Methvenus.
Georgius Mudæus.
Gulielmus Fentonus.
Gulielmus Moravius.
Iacobus Carmichael.
Iacobus Macgillus.
Ioannes Bonarus.
Ioannes Humius.
Ioannes Peblæſius.
Ioannes Willichius.
Lodovicus Wemius.
Samuel Blackburnus.

Juventæ huic ob insignia & liberalia studia laureâ Philosophicâ oppidò donandæ.

FAsne Panegyricis, (pubes bene dogmata spirans
Hæc Sophiæ) sciolo te celebrare modis?
Plus meruisse scio celebri isto in Præside, cujus
Altior hisce tibi nomine perstat honor.
Abs quo nunc factum est, viridans quod tempora laurus
Vestra manet, voti hæc summa operosa sui.
Quippe sinu Charitum vos, ceu sua pignora, fovit,
Ac finxit, cluitis quo genitore satis.

D. P. P.

Commilitonibus suis charissimis *laureâ donandis Hexastichon.*

MActi io fratres! me rumperet æmula virtus
His titulis, si non æmulus esset amor.
Solus amor prohibet, nè laurea præmia vobis
Æmulus invideam cassus honore pari.
Ergo hos suspicio partus, & comprecor alto
Aurea cum lauro vertice serta ferant.

D. F. F.

Ad eosdem adolescentes optimis ducibus *dogmata sua propugnantes*

EIa alacri, juvenes, certamen inite cohorte:
Machina munitos nulla movere queat.
Præside Socratico freti frangetis acuti

Scoti

Scoti,& Aquinatis tela inimica Sophi.
Duplice patrono tuti ridete Theontis
Spicula dira: nihil Momus inerme videt.
Si quid enim patri muniminis abſtulit ætas,
Dat gnato,cui ſi quid negat, alter habet.

Jo Vigilantius.

Eiſdem adoleſc. Celeuma.

VT generoſus equus claram juxta Elidis urbem
Piſææ ſolitus mirari præmia palmæ,
Æra procul ſi forte ſonent; hinnitibus auras
Implet, & albentes ſpumas rotat ore: repulſis
Compedibus, terram ſubigit, frænóſque ſonantes
Concutiens, avidè captat prænuntia curſus
Signa ſui, & ſparſâ pugnam meditatur arenâ
Provocat,& celeres (tanta eſt fiducia) ventos:
Sic Leonardini lectiſsima turba Lycæi
Penè annis animíſque pares, properatis anheli
Spirantes Logicum gravido de pectore Martem,
Corda etenim Laudis thyrſo percuſsit Apollo,
Macte animi pubes generoſa,accingere & omnem
Pelle metum, non hic acies acerrima prima
Eſſe ſolet: deme hinc paucos, pars cætera miles
Emeritus multo jam fractus membra labore.
Si juvenes jaculis vos,aggrediantur onuſti
Prorſus Achilleis, jugulúmque animámque tenellam
Diſtricto mucrone petant, ſolertia docti
Præſidis effugium & tutum præſtabit aſylum.
Sperantes molli genuinum infigere ceræ
Cautibus infringent duris,ictíque gemiſcent:
Vivida nam mentis vis, & vigor igneus alti
Ingenii, hoſtiles ſtrepitus, inimica fugabit
Agmina: tela quidem tornata in incude recenti
Irrita erunt valido ſcutorum umbone repulſa.

Jo. Wemius.

Theſes Logicæ.

I.

PHILOSOPHIÆ, communis humani generis amaſiæ, pulchritudinem intueri caligans mentis noſtræ acies neutiquam poteſt, niſi definitio prius eam nobis adumbret.

I. *Ut ergo naturam ipſius* συλλήβδην & κατ' ἐπίτομην *animo complectamur: eſt habitus veritatis rerum omnium in homine, lumine naturali inſtructo, propter veritatis inſpectionem & effectionem ortus.*

2. Perfectâ veritatis inſpectione, cum primâ cauſâ, Deo opt. Max. homo maximè conjungitur, & ſupra ſtatum ſuum (non dicam eum ſolum in quem ob flebilem Adami lapſum meritò inciderat, verumetiam primum eum de quo deciderat) ad ſublimiorem quendam cœleſtem penitus ac divinum evehitur.

I. *Eſt ergo humanæ vitæ finis præcipuus, unde ſummum hominis bonum, tanquam ex fonte principali prodit, & ad quem, tanquam ad eminens quoddam naturæ ſuæ faſtigium, homo ordinatus eſt.*

II *Hinc tanta refulget Philoſophiæ cum hominis conditione connexio, ut unus ſit utriuſque finis.*

III. *Quare ut hominem cum D. Thomâ & univerſâ ejus familiâ ad Dei nexum, tanquam ad aliquid ſibi apprimè congruum, propendere volumus: ita etiam Philoſophiæ cupiditatem omnibus innatam eſſe contendimus: ut qui eam aſpernentur, Gigantum more Deo ipſi & Naturæ ejus adminiſtrę bellum indicant.*

3. Per omnes Philoſophiæ partes, & diſciplinarum genera, Praxis & Theoria diffunduntur: ut nulla ſit ars cujus ſua etiam non ſit Theoria, neque ulla ſcientia cujus ſua non ſit

Praxis, quod singulas sigillatim inspicientibus luce meridianâ clarius esse poterit. Imò ut nulla actio sine cognitione laudem aliquam meretur, nec cognitio absque aliquâ actione, homini ad causſam, propter quam est, potest prodesse: ita nec Praxis ulla absque Theoria bona est, nec Theoria absque Praxi jucunda.

I. *Philosophiæ ergo in genere divisionem in Theoreticam & Practicam, tanquam partes essentialiter diversas, non agnoscimus.*

II. *Poeticen tanquam à Practica diversam (quasi hac ratione, perficeretur Arist. divisio) minimè adjiciendam censemus.*

III. *Theoreticam appellamus, cujus finis est, non unicus sed præcipuus, veritatis contemplatio, quemadmodum & Practicam, cujus præcipuus finis est vel actio, vel effectio. Philosophus enim dum ita dividit promiscuè hæc accipit.*

4 Philosophia παντα τὰ ὀντα considerat.

I. *Omnes igitur omnino disciplinas, tam inservientes & instrumentales, quam principales & dominas, hasque tam divinitùs revelatas, quam humano ingenio adinventas, latè sumpto ejus nomine, ambitu suo complectitur.*

II. *Quamobrem ergo inficiabimur, vel sacram Theologiam partem esse Philosophiæ, vel Organicarum & earum, quæ vulgo pædia appellantur, suam etiam esse utilitatem & jucunditatem.*

5. Philosophiæ deliciis absque eo quod Arist. pædiam, Plato purgationem appellat, nemo potietur.

I. *Ridemus itaque Stoicorum omnium (uno fortassis excepto Possidonio, cujus sententiam refert Seneca, Epist. 88.) Epicurique opinionem, qui absque ope aliqua etiam quamcunque mulierculam ad scrutanda, & capessenda Philosophiæ mysteria admittunt.*

6 Secundum similitudinem Platonicæ purgationis, pædiã suam citra controversiam efformavit & distinxit Arist.

I. *Ut ergo purgatio Platonica est, vel impedimenta removens, vel mentem nostram dirigens, vel eandem præparans: ita & pædia hæc Aristotelea triplex constituatur: una quæ ex animis nostris pravitatẽ tollat, alia quę animi Logicâ mentem nostram dirigat, & tertia, quæ in qualibet re Philosophicâ, ante exactam ejus ἀκρόασιν præmittatur.*

II. *Ejus genus nec confusa quædam cognitio (ut quidam autumant) nec experientia, ut alii, nec particularis Logica, ut Averroistę, nec denique miscella quædam ex omnibus istis conflata, ut vult Franciscus Picolomineus, moralis Philosophiæ gradu. 5. Cap. 13.*

III. *Primi generis pædia est quam intelligit Arist. 1. Ethic. cap. 3. quam ad universam Philosophiam necessariam esse contendimus: Secundi generis, quę dirigens appellatur, in omnibus quæ ante Philosophiam addiscuntur artibus vel disciplinis, egregiè locum sibi vendicat: Logicam tamen cum Arist. in apice, ut colophonem collocandam volumus: Tertii demum generis est, quam intelligit Arist. initio 1. de part. animal. quęque (ut ibi dicitur) junctæ scientiæ non habet modum scientiæ.*

IV. *In harum censu collocamus paræneticos libellos Catonis, Isocratis, & similium in doctrina morali, Purbachii Theoricas Planetarum in doctrina Astrologica, Arist. libellos omnes exotericos in ejus Philosophiã, Porphyrii denique Isagogen in Logicam, & omnes quoscunque tractatus quibus rudis intellectus exasciatur, & idoneus redditur ad difficiliora intelligenda.*

V. *Quid igitur vetat universam Philosophiam, humanâ industriâ inventam ad sacram Theologiam, Moralem Philosophiam ad Theoreticam, & inter Theoreticas omnes alias ad Metaphysicam pædia duntaxat nomen mereri?*

VI. *Scientiarum itaque istos inimicos, qui Theologiæ negant Philosophię auxilium & famulitium, penitùs damnamus.*

VII. *Nec qui disciplinas in genere ad docentes vel primarias, & dirigentes seu organicas, tanquam ad duas classes, omnes revocant probamus.*

IIX. *Imò ne existimemus ἀλόγον esse, unam eandemque disciplinam, aliter atque aliter consideratam, posse esse primariam & non primariam: nullam tamen organicam, quomodocunque consideretur, esse posse credimus principalem.*

7 Prima caussa Deus Opt. Max. rerum omnium Architectus sapientissimus, ordinis & methodi cum sit non solùm laudator, sed etiã observator diligentissimus & author, συγγένειας & affinitatis vinculis res omnes ita inter se colliga-

vit, ut & aliæ aliis cohæreant, & aliæ ab aliis tanquam appendices & sequelæ promanent.

I. *In artibus igitur & disciplinis tradendis, ordinis & methodi usus necessariò requiritur, quo omnibus queamus mentis nostræ morbis, quibus in veri apprehensione laboramus, mederi.*

II. *Non est ergo dubitandum quin Logica, licet nulla disciplina sit vel ars Philosophica, inter utilissimas tamen enumeranda sit, cum ista instrumenta nobis adeo necessaria suppeditet.*

III. *Contendimus multas esse alias disciplinas Organicas, & imprimis Grammaticam, sine qua nulla alia acquiritur.*

IV. *Rhetoricam autem & Poeticam, quamvis & hisce, & Arist. temporibus, in materia civili potissimùm versari consueverint, ad Logicam referimus.*

V. *Sequitur præterea nec omne cognitionis instrumentum esse Logicum, nec omne logicum esse ἀποφαντικον, vel διανοητικον.*

8. Notiones omnes mentales, res ipsas, tanquam objectum suum terminativum, intuentur: sed aliæ eminus, aliæ cominus.

I. *Mens ergo humana uno actu omnia, vel plura simul nequit intelligere. Hoc dei elogium est.*

II. *Hinc patet caussa cur notionum aliæ sunt primæ, aliæ secundæ.*

III. *Omnis tam prima quam secunda mentis nostræ opus est.*

IV. *Neutra itaque ens reale est, sed utraque rationis, & contingens.*

V. *Omnem igitur, etiam primam Categorias refugere, quantum sciam, nihil est quod verear affirmare.*

VI. *Improbamus, quod Logicorum vulgus asserit secundas notiones esse instrumenta, & in Organicis disciplinis effabricari.*

VII. *Nec magis probamus eos, qui Logicæ operationis, res ipsas, & tractationis, secundas notiones subjectum esse autumant.*

IIX. *Eorum etiam admiramur inscitiam, qui nec inter res ipsas & earum conceptus, nec inter conceptus & voces satis distinguunt.*

9 Nihil est efficiens suiipsius. Arist. de motu animalium, cap. 5.

1. *Logica ergo ratiocinandi instrumenta ipsa non fabricat.*

2 Nihil

II. *Nihil tamen obstat quominus in Logica, Logicus instrumentis suis utatur.*

III. *Quamobrem igitur in artium potius quam scientiarum album Logicam referemus?*

IV. *Quibus certe accuratè loqui curæ est, vix habitum esse dixerint: aliud quippe disciplina est, & ejus in habitum transvectio.*

V. *Quid mirum igitur si in Zabarella, qui Logicam scientiis applicatam in ipsarum naturas immigrare tuetur, sententiam pedibus non descendamus?*

10 Logica tota, quanta quanta est, in secundis notionibus sita est.

I. *Res ipsæ igitur, nihil quicquam Logicæ animæ attingunt.*

II. *Neque primæ notiones, quæ, propter rerum immediatam repræsentationem, realia dicuntur.*

III. *Liber itaque Categoriarum non est, & χεήσεως, & κτήσεως Logicus, aut Organi Logici ullo modo pars.*

IV. *Insuper, nec mentis tres operationes, quarum tota consideratio penes Physicos est, præceptis suis insulcit, sed tantum instrumentis suis dirigit.*

11 Omne universale mente collectum, qua tale, accidens est, & quidem intentionale, Scaliger Exerc. 307. quod que ipse Arist. non obscurè innuit lib. Categ. cap. subst. dum ait secundas substantias μᾶλλον ποιόν τι σημαίνει quam τόδε τι nisi τῷ σχήματι τῆς προσηγορίας.

I. *Universale ergo, quod vocatur post multa, opus mentis est, non tamen secunda notio.*

II. *Non assentimur iis, qui in multis, & post multa, solâ ratione differre asserunt.*

III. *Neque iis quidem, qui universale, quovis modo consideratum re ipsa idem cum singulari non erubescunt statuere, calculum possumus adjicere.*

IV. *Verum quia rem universalem intellectus non efficit, sed tantum universalia sparsa per singularia colligit, & si species sint, genus, si individua, speciem dictitat: ipsa universalia, quæ vocamus, in essendo, aut in multis, realia esse audacter concludimus,*

V. *Et, prout se habent eorum singularia, substantias vel acciden-*

tia esse arctè & Philosophicè tuebimur.

12 Nullum totum unâ duntaxat constat parte : majus siquidem est qualibet suâ parte: 4. Metaph. cap. 26.

I, *Genus igitur unicam habens speciem nullum datur, vel dari potest:*

II. *Omnis nihilominus species, totam generis naturam in se continet.*

III. *Si propterea oporteat concedere totum genus in unicâ ejus specie existere, dicendum est partem sic esse, non totum, multa, non unum: & ut 1. de Cœlo cap. 1. imperfectum quid, non perfectum.*

IV. *Species igitur est generis & totum & pars, quemadmodum & genus est speciei, illa verò magis totum est quàm hoc.*

V. *Totum igitur, & pars, sunt τῶν πλεοναχῶς λεγομένων.*

13. Propria cujusque rei differentia à forma petitur: 8. Phys. Tex. 4. & omnis distinctio, atque determinatio, ab ea proficiscitur.

I. *Porphyrio igitur, nullâ potiùs, quàm pingui (ut & pleraque alia in Isagoge) ut aiunt, Minervâ, unicum individuationis principium τῶν συμβεβηκότων ἀθροισμα statuenti, nusquam applaudemus.*

II. *Sed, ut generis suâ forma est generalis, & speciei specialis, per quas proprios suos gradus, & in prædicamentali classe peculiaris sedes sortiuntur & obtinent: ita, & individuorum suas esse singulares & numericas, aut (ut Metaphysici loquuntur) hęcceitates, quamobrem verebimur asseverare?*

III. *Suffragamur tamen iis, qui pertinaciter negant, harum formarum distinctas suas esse quidditates.*

IV. *Ne igitur dogma hoc nostrum, quod proculdubiò doctissimis paradoxon videbitur, ad alia entia quam prædicamentalia extendatur! quod qui fecerint, progressum in infinitum nequeunt effugere.*

14 Forma in materia actus ejus est essentialis.

I. *Ei ergo semetipsam communicat.*

II. *Ut sit distinctio inter formam propriè dictam & assistentem eam etiam materia possideat, & quidem intimè necessum est.*

III. *Quantò magis quęvis accidentia communicari poterint?*

IV. *Pueriliter ergo ineptit Keckermannus, qui (ne divina idiomata humanæ Christi naturæ, communicata esse cogatur concedere) omnem proprii ἴδιωσιν & κοινωνίαν tollit, & inficiatur.*

V. *Proprium tamen Porphyrianum, nisi forte qua quoddam universale est, & non qua tale, posse communicari semper aversabimur.*

VI. *Unde nexu, & vinculo strictiori, & magis essentiali cum subjecto suo, quàm vel genus, vel differentia cum speciebus, vinciri concludimus.*

VII. *Cum ne vel cogitatione ulla possit esse eorum separatio.*

15 Intellectus objectum per se & adæquatum, sanis omnibus fatentibus est tantùm ens verum reale: & voluntatis, est bonum.

I, *Categoriam igitur, vel prædicamentum, quid vetat definiri: rerum ejusdem generis graduum, & ordinum omnium distinctionem vel dispositionem?*

II. *Individua itaque non sunt, ut basis scalæ, potiùs* sub *quàm* in, *ordine prædicamentali: ut ait Keckermannus in explicando primo Can. cap. 2. lib. 1. Systematis logici.*

III. *Pari certè ratione supremis generibus, quod scilicet suprà potiùs, quàm in Categoriis esse videantur, distincta, & propria sedes neganda videtur.*

IV. *Excludimus interim nos è Categoriarum albo infinita, aterna, actus, & potentias, concreta, & Grammaticorum collectiva, entia rationis, & animi conceptus, notiones utpote tam primas, quàm secundas, privationes, denique ficta & æquivoca.*

V. *Sed horum alia, licet quidem, alia vero reducere nefas esse arbitramur.*

VI. *Quàm insigniter errent Ramistæ, qui Logicæ subjectum esse aiunt ex æquo Ens & Nonens, quis hinc non liquidò videbit?*

16 Nihil

16 Nihil cui inest aliqua differentia ejus est subjectum, quod vocamus inhæsionis, imo vix attributionis.

I. *Nec differentia ulla, est substantia prima, vel secunda.*

II, *Divisio substantiæ in primam & secundam, non est substantiæ in universum.*

III. *Nec entis fortassis illa in substantiam & accidens: differentia siquidem propriè, nec substantia, nec accidens est.*

IV. *Arist. propterea lib. Categ. Cap. de subst. rectè arguit primam proprietatem non soli substantiæ competere.*

17. Nulla substantia materiæ expers individuum aliquod, nedum plura sub se potest habere. teste Arist. 12. Metaph. Cap. 8.

I. *Deus igitur, intelligentiæ, anima, vel spiritus, in Categoria substantiæ nullum prorsus sibi locum vendicant.*

II. *Iis non assentimur, qui duas in Substantia series, unam corporearum, aliam incorporearum substantiarum constituunt.*

III, *Nullam enim incorpoream substantiam, vel genus, vel speciem, vel individuum esse volumus.*

IV. *Numquid etiam eorum sententiam explodemus, qui superioris differentiæ de inferiori prædicationem (cujusmodi est,* rationale est sensitivum*) inter legitimas & propriè dictas enumeram?*

V. *Nemo etiam, nisi nimis catachrestic*ῶς *loqui cupiat, diversorum specie differentias, specie differre, audeat asserere.*

VI. *Nobis itaque haud minus errare videntur, qui materiam & formam in eadem collocant Categoria, aut qui ens & nonens, seu corruptibile, & incorruptibile aut ejusmodi eadem esse asserunt.*

18. Φθαρτικὰ τῶν ἀλλήλων τὰ ἐναντία. Arist. Phys. 1. Cap. 9. suntque contraria in subjectis, ex Lib. Cat. Cap. 5.

I. *Quum ergo substantia sit vel materia, quæ una numero est in omnibus, Scal. exerc. 9. quaque secundum se non est hoc aliquid: vel forma, secundum quam dicitur* Τόδε τι: *vel ex utrisque quiddam compositum. Arist. 2. de Anim. cap. 1. textu 2. & 35. adversus Ramistas & Rudolphum Goclenium eorum patronum in solis accidentibus veram reperiri contrarietatem, præcisè tuemur.*

II *Formas igitur oppositas esse fatemur, contrarias tamen minimè.*

III. *De ſpecubus, & diviſivis differentus ejuſdem generis, idem judicium eſt.*

IV. *Formas tamen, quòd accidentibus, tanquam ſatellitibus ſtipentur, contrarias ſæpè vocitari non ignoramus.*

V. *Aſſentimur iis, qui in ſolo qualitatis prædicamento, veram contrarietatem, per ſe & propriè, locum tenere autumant.*

VI. *Quam gnaviter diſtinguendum inter* τῶν ἐναντίων εἶναι δεκτικὰ ἐχειν ἐναντία, & ὑπάρχειν ἐναντιότητα.

VII. *Relata, tum ne vix oppoſita audeam appellare, iis quanquam inſit vel accidat quædam contrarietas, ex contrariorum cœtu expungimus.*

IIX. *Probamus nihilominus Ariſtotelem dicentem 10. Categ.* Λέγεται δ' ἕτερον ἑτέρῳ ἀντικεῖσθαι τετραχῶς.

19. Διὰ τὸ μεγέθος εἶναι συνέχες, καὶ ἡ κίνησις ἓν ἐστι συνεχὴς, διὰ δὲ τὴν κίνησιν καὶ ὁ χρόνος. Ariſt. 4. Phyſ. Cap. 11. text. 99.

I. *Exulabit igitur ex quantitatis per ſe ſpecierum familiâ, tam tempus, quàm motus.*

II. *Omnium quantitatis diviſionum, probatiſsima eſt ea* εἰς μεγέθος καὶ πλῆθος, *adeo ut, ſicut magnitudo & continuum idem ſunt, ex Ariſt. 1. de cœlo, Cap. 1. ita numerus & multitudo.*

III. *Orationem itaque quantitatis per ſe ſpeciem, quidquid aliis videatur, eſſe negabimus.*

IV. *Tempus autem, partim ad multitudinem, partim ad magnitudinem referimus.*

20. Syllogiſmus, qui Logicæ & finis & ſubjectum eſt, & ad quem quicquid in Organo Logico tractatur, peculiari quadam ratione refertur, nihil aliud eſt, quam propoſitionum apta quædam compages.

I. *Interpretationis igitur nominis, verbi, & enuntiationis, in lib.* De Interpret. *tractatus non eſt penitùs abſolutus.*

II *Sed geminus eſt illius libri ſcopus, unus abſolutus, ut & prima & ſecunda mentis noſtræ operatio dirigatur, alius reſpectivus, ut pro ſyllogiſmo poſteà conficiendo, ſimplex & complexa paretur materia.*

III. *Non negamus tamen adæquatum ejus ſubjectum eſſe inter-*

pretationem, modum verò considerandi, esse quâ est interpretatio pernegamus.

21 Enuntiationem attributi cum subjecto, decens, & legitima dispositio ut forma constituit.

I *Veritatem igitur, quòd eam consequatur, propriam enunciationis affectionem statuimus.*

II *Adeo ut falsa enuntiatio, non aliter sit enuntiatio, quàm Pictus homo est homo.*

22 Verum & falsum non esse in rebus, sed in mente, pronunciat Arist. 6. Metap. Text. 8.

I. *Apta igitur & congruens partium enuntiationis dispositio pendet à mente:*

II. *Unde tritum est illud Philosophorum:* veritas in rebus est ut in caussa, in intellectu ut subjecto, & in oratione, ut in signo.

III. *Subtiliùs verò loquendo, non sunt res ipsæ caussæ, sed earum potius inter se tales, vel non talis habitudo vel affectio.*

33 Enuntiationis absolutè & per se partes, sunt Nomen & Verbum: Propositionis verò Subjectum & Attributum.

I. *Quoniam igitur ea differunt re ipsâ quorum partes non sunt eadem, Propositionis, & enuntiationis majus est discrimen, quàm multi arbitrantur.*

II *Imo cum queat in mente esse propositio generibus suis differunt.*

III. *Omnis nihilominùs enuntiatio, potest esse propositio.*

24 Prædicati in propositione munus est, subjecto manifestationē & lucē inferre: verbi verò in enuntiatione quâ tale est τὸν χρόνον προσσημαίνειν, καὶ τῶν καθ' ἑτερου λεγομένων ἀεὶ εἶναι σημεῖον. Lib. de Inter. cap. 3

I *Verbum igitur (licet præcipua pars enuntiationis sit) propositionis pars nulla omnino esse potest.*

II. *Nisi tamen attributo vel adjungatur, ut in iis tertii adjacentis, vel includatur, ut in secundi, nulla erit propositio.*

III. *Item, liquidò hinc constat verbum essentialiter, & per se nihil significare, & proinde non esse interpretationis speciem à nomine distinctam.*

IV. *Siquidem* αὐτα καθ' αὐτα λεγομένα τὰ ῥηματα ὀνοματα ἐσιν, *eodem lib. de Interpr. cap. eod.*

V Qui

V. *Qui hujus enuntiationis,* Homo eſt animal το Animal *negant plenum eſſe attributum nimium ſibi diffidunt,* Animal *enim & non hoc totum complexum* eſt animal *de homine pradicatur.*

VI. *At magis* ἀλόγον *eſt, & ab Ariſt. mente ac doctrinâ alienum dicentis* Ῥῆμα ἐστιν ὃ μέρος οὐδὲν σημαίνει χωρὶς *totum complexum verbum ſtatuere.*

VII. *Hujus* Socrates diſputat. *niſi ex accidente* diſputat *etiam verbum eſſe inficiabimur.*

IIX. *Quidni igitur* eſt *tertium adjacens, ſecundùm Ariſt. placita, verum & ſolum verbum eſſe propugnabimus?*

IX. *Et* συνκατηγορεμένον *potiùs quàm vel* προσκατηγορεμένον *aut* προσκειμένον *appellabimus.*

25 Vt ſe habet verbum in enuntiatione pura, ita modus in modificata : ex Ariſt. *12. De* Interp. dum ait γίνεται γὰρ ὥσπερ, &c.

I. *Modus ergo, quanquam præcipua ſit pars, non eſt tamen in modificata enuntiatione attributum.*

26 Syllogiſmi forma eſt congrua medii cum extremis diſpoſitio, materia, partes ejus in quas reſolvitur.

I. *Hallucinantur, qui formæ elogio concluſionem inſigniunt, quum ne vel partis nomine ornanda nobis videatur.*

II *Sed, quum in ea ſpiritalis ille motus mentis, qui ſyllogiſticus diſcurſus dicitur ſiſtatur, terminum, finem vel fructum Syllogiſmi, potiùs appellaverim.*

27. Trium figurarum, quæ ex triplici terminorum legittimâ & congruâ diſpoſitione conſurgunt, Syllogiſmi & Inductiones non ſunt æquè Syllogiſmi.

I. *Non eſt igitur Syllogiſmus in genere vel Argumentatio genus univocum.*

II. *Nec Syllogiſmi. 1. Prior, Analyt. definiti, genus* ὁ λόγος *vel orationem vel rationem ſignificabit, ſed eâ potiùs in ſignificatione, quâ ſumitur ab Ariſt. 8. Phyſ. cap. 1. accipi contendimus.*

III. *Imò, non (niſi per accidens) Syllogiſmum orationem eſſe volumus.*

IV. *Ridemus etenim, & futilem eſſe exiſtimamus, eam ora*

tionis distinctionem in vocalem & mentalem: non magis Paradoxon est, vocem aliam esse mentalem, aliam vocalem.

V. Errare etiam censemus eos, qui syllogismum vel argumentationem ullam διάνοιαν esse dicitant. Fatemur nihilominùs omnem esse διανοητικὸν.

28 Omnis argumentatio, à noto ad ignotum debet procedere.

I. Sorites ergo non est argumentatio, esse verò plures, fortasse non aversabor.

II. Inductio instrumentum etiam notificandi aptissimum est, & naturæ nostræ congruens.

III Damnandus propterea Zabarella, qui 3. de Meth, cap. 19. eam non tam probare, quam declarare asserit.

IV. Quin potiùs, cum Arist. sentiendum post. 1. cap. 3. & 2. cap. ultimo, & 6. Eth. cap 3. universalia absque eius ope contemplari, aut intelligi esse impossibile.

V. Quanquam singularia omnia simul sumpta, ex quorum enumeratione perfecta constat Inductio, idem quod universale esse, fatetur idem per idem probare, absurdum dictu censeo.

VI. Istam itidem in exemplari Syll. argumentationem tertiam, qua tertium per simile tertio probatur, quam quidam præcipuam esse comminiscuntur, argumentationis nomine indignam clamito.

VII. Omnem etiam Syllogismum proprium ex Logicorum instrumentorum cœtu eliminandum, & sine omni reditu in perpetuum profligandum discerno.

IIX. Cùm nec Syllogismi, nec Inductionis naturam attingat, plura autem notificandi fidem ve faciendi instrumenta, manifestum est Arist. ipsum nunquam voluisse agnoscere.

29 A re scitâ, tanquam objecto, & ab animo, tanquam subjecto, pendet scientia.

I. Quemadmodum rei extra mentem necessum est summam inesse necessitatem, ita ut fiat ejus scientia, caussæ certitudinem animus debet apprehendere.

II Non malè propterea omnes scientiæ conditiones, & differentias ad duo capita redegerimus.

30. Ἀπόδειξις δέ ἐστιν, ὅταν ἐξ ἀληθῶν καὶ πρώτων ὁ συλλογισμὸς

ἢ,

ἢ ἐκ τοιούτων, ἃ διά τινων πρώτων καὶ ἀληθῶν τῆς περὶ αὐτὰ γνώσεως τὴν ἀρχὴν ἐιλήφε.

I *Qui demonstrationis του ὅτι, seu potissimæ gradus non admittunt, Aristoteli adversantur.*

II *Demonstrationis igitur potissimæ minorem actu esse mediatam, quamobrem quæso inficiari verebor?*

III *Aut in eorum ire sententiam, qui omnem scientiam in se adeò esse sufficientem, ut aliunde non egeat auxilio, aut termino aliquo petito, quæ ratio suaserit?*

IV *Vel cur non etiam admirabor eos qui quolibet termino transsumpto, transitum de genere in genus fieri existimant?*

31 Scientia subalternata, à subalternante subjectum suum trahit, ex Physicâ vero sensilem qualitatem perpetuò depromit.

I *Subalternatæ scientiæ unam duntaxat numero constituunt.*

II *Subalternæ scientiæ arctiori vinculo, quàm aliæ consociantur*

III *Mathematicarum, quum subalternationis glutinum præcipuè sint nactæ, arctissima est ligatura.*

IV. *Fatendum tamen omnes alias scientias, nexu quodam amico, ita esse conjugatas, ut ad mutua emolimenta dexteras jungant.*

V. *Credimus etiam omnes subalternatas scientias, sive Mathematicæ sint, sive alius generis, Physicæ etiam quadamtenùs subalternari.*

VI. *Idcirco Arist. 2. Phys. cap. 2. Astrologiam Physicæ partem appellavit.*

32 Vt in omni Syllogismo medium causa est illationis: ita demonstrationis medium majoris extremi causa est.

I *Qui ergo cuncta scibilia, & demonstrabilia propriorum accidentium sæpe comprehendunt, vallo certè nimis angusto concludere conantur.*

33 Medium omne, quo ad probandum, quod ponimus, utimur, vel rebus ipsis, qua res sunt, vel ratione secundarum notionum quæ à nobis effinguntur, convenit.

I *Duas idcirco, necessitatem, & probabilitatem, ejus conditiones statuimus.*

II *Unde sequitur omnem Syllogismum necessarium esse, vel probabilem.*

III. *Non eſt tamen omnis Demonſtrativus, vel Dialecticus.*

IV. *Non eſt enim omnis neceſſarius Demonſtrativus.*

V. *Quod autem ad eam contingentiam attinet, quæ rebus ipſis quæ res ſunt convenit, ne plures cogar Syllogiſmi ſpecies concedere, ad probabilitatem reduco.*

34. Quodvis ens probabilitatis veſte veſtitum, Dialectici Syllogiſmi ſumptionis attributũ, vel ſubjectum eſſe poteſt.

I *Methodus ergo Dialectica, non eſt minùs communis, quàm ipſa Metaphyſica.*

II. *Ejus propterea utilitas, ad omnes alias ſcientias, & diſciplinas extenditur.*

III. *Probamus nihilominùs (nec obſtat quod modo dictum eſt) quaternarium attributorum numerum.*

IV. *Non putamus Apodeicticam, & Dialecticam ita pugnare, quin quæſtio Demonſtrativa poſsit eſſe Dialectica.*

V. *Eadem certè ratione poteſt ſyllogiſmus Dialecticus eſſe demonſtrativus: fortaſſe Dialecticus poterit eſſe Sophiſticus, demonſtrativus tamen nunquam Pſeudographicus.*

VI. *Putaverit etiam aliquis, ejuſdem rei ſimul eſſe poſſe, & ſcientiam & opinionem, quod non penitus à veritate abhorrebit.*

VII. *At eidem, aut in eodem animo, omnis rationis metas egredietur, qui dixerit.*

35 Dialectica problemata, de iis duntaxat ſubjectis, quæ definiri poſſunt, ex Ariſt. ſententia, fieri minimè ambigimus.

I *Ergo, ſi quandoque fiat problema ſpeciei, licet magnam cum genere affinitatem habeat, ad ejus tamen problema nolumus reducere.*

II. *Imo ſpeciem, nec per ſe eſſe attributum, nec ulli quatuor ab Ariſt. propoſitorum, annectendam volumus.*

36. Sub iis quæ ad electionem & fugam intendunt, non ſolum moralia, ut quidam volunt, comprehenduntur, verumetiam ea quæ in artibus quibuſcunque proponi ſolent locum ſibi vendicant, quemadmodum nec ſub iis quæ ad cognitionem naturalia ſola vel Phyſica, verumetiam pari ratione Metaph. & Mathem. continebuntur.

I. *Qui problema Dialecticum, in Ethicum, Phyſicum, & Logicum diſtribuunt, Ariſtotelis dicta. 1. Topic. Cap. 9. in nimis angu-*

ſtum

gustum contrahunt.

II. *Quanquam igitur Prima Philosophia, si materiam spectemus, unde proculdubiò universę Logicæ campus originem suam duxit, Dialecticâ generalitate quâdam sit eminentior: formam tamen & dispositionem si spectes, Dialectica prior & generalior erit.*

III. *Quod autem Dialectica, Ens tam intentionale quàm reale consideret, Metaph. tantum reale haud quaquam moramur.*

IV. *Entis etenim realis, occasione intentionale exiſtit.*

27 Dialecticus plenè is tantum munere suo fungitur, qui cùm invadendum est, sophismata tanquam arma injusta, & illegittima deponit, dumque defendendum, vel respondendum est eadem operta aperit apertaque retundit.

I. *Rectè ergo Arist. in posthemâ cà Organi sui parte De elenchis sophisticis doctrinam instituit, ut eorum cognitionem assecuti, ab eorum laqueis nobis caveamus.*

II. *Appositissimè etiam ἀλεξίτηριον φάρμακον à quibusdam appellatur.*

III. *Nequaquam tamen Logicæ partem, ab Apodeictica & Dialectica distinctam esse arbitramur.*

VI. *Quin potius, suffragante ipso Arist. Dialectice esse partem concludimus.*

V. *Damnamus propterea eos, qui contra sentiunt non minùs quam eos qui Syllog. totius Logicæ subjectum, in Demonstrativum, Dialecticum & Sophisticum, tanquam tres species, quæ trium Logicę partium propria adęquataque partialia subjecta sint, distribuunt.*

VI. *Patet insuper in Elench. Sophist. non minùs quam in Top. Arist. tam Opponentem, quam Respondentem meritò instruxisse.*

VII. *Nec non technis & decipulis Sophismatum, non solùm nos alios, verùm & nosmet ipsos decipere posse.*

Theses

Theſes Ethicæ.

AFfectus noſtros, qui Adami lapſu quaſi paralyſi quadam diſſoluti ſunt, & voluntatem, quæ tranſverſim acta eſt, componit & corrigit Practica Philoſophia.

I *Homini ergo perquàm neceſſaria eſt.*

II. *Ejus objectum perverſam hominis voluntatem, & affectus inordinatos ſtatuimus.*

III. *Subjectum verò hominis actiones.*

IV. *Et finem bonum civile.*

V. *Quare ut verum ad intellectum, & intellectus ad Philoſophiam Contemplativam: ita quidem bonum ad voluntatem, & voluntas ad Philoſophiam practicam penitùs ſe habet.*

VI. *Iis itaque qui ut volunt omnia propter hominem, ita hominem ad liberè volendum bonum, utque ipſi bene ſit natum eſſe aſſerunt, aſtipulemur.*

VII. *Eorum etiam, qui unicum Moralis Philoſophiæ finem conſtituunt, ſententiam amplectamur.*

IIX. *Adeò ut Ethica, vulgò Nicomachica, OEconomica, Politica, unam genere artem vel diſciplinam conſtituant.*

IX. *Politicæ verò, quia proprius & adæquatus ejus finis eſt bonum communiſſimum, Ethicam & OEconomicam ſubalternari quodammodo, aut ſubordinari volumus.*

X. *Ut intrepidè ſtatuendum ſit, bonum virum bonúmque patremfamiliâs poſſe exiſtere qui non ſit etiam bonus civis: contrà verò bonum civem omnino bonum eſſe volumus.*

2. Practicæ Philoſophiæ οἰκεῖον ἀκροατὴν vel ἱκανῶς ἀκουσομένον talem cum Ariſt. oportere ſtatuimus, qui & primùm quæ traduntur omnia queat cognoſcere, deinde eadem exercere.

I. *Eſt ergo juvenis μὴ οἰκεῖος ἀκροάτης.*

II. *At non idcirco ἀκροάτης eſſe deſinit.*

III. *Is etiam, qui virtutem exercet, ejus tamen rationem ignorat, (cognitio enim cujus effectus eſt κρίσις actionem dirigit, & moderatur) μὴ οἰκεῖος ἀκροάτης cenſendus eſt.*

IV. *Tunc igitur Reſpub. beatæ ſunt, & finem ſuum nactæ, cum exquiſita*

quiſita cognitio cum abſolutiſsimâ actione conjungitur.

V. *Aſſertum vero illud Platonicum*, Eæ demum beatæ ſunt Reſp. in quibus vel Reges philoſophantur, vel regnant Philoſophi, *nuſquam certè averſabimur.*

VI. *Quamvis enim Philoſophorum propria ſit cognitio exacta, regum tamen ipſorum κατ' ἐξόχην eſt.*

3. Finis & bonum reciprocantur.

I *Mediа ergo, per quæ oportet ad finem pervenire, qua talia, non ſunt bona ſed ut à fine naturam & menſuram ſuam accipiunt, ita etiam eidem bonitatem ſuam omnem acceptam referunt.*

II *Quid de iis ſentiendum, qui mala interdum facienda exiſtimant ut bona inde evenant?*

III. *Nunquid etiam eorum damnanda eſt opinio qui ex duobus malis minus malum legittimè eligendum ſentiunt?*

IV. *Malum enim, non aliter voluntati, quam Falſum & Non-ens intellectui objicitur.*

V. *Malum ergo tantum averſandum, non faciendum.*

4. Fœlicitatis forma (internam intelligo non exteriorem quam ut ornamentorum velum texuit Ariſt.) eſt *actio animi ſecundum virtutem, &c.*

I. *Corporis ergo & fortunæ bonis viduatum vel deſtitutum, imò etiam non modò moleſtiarum Pelago immmerſum, ſed in ſcelerum Barathrum ruentem, antequam nimirum ex fœlicitatis ſtatu vel arce penitus ſe dejiciat fœlicem dici poſſè cenſemus.*

II. *Formâ namque ſalvâ, & permanente, res nequit corruere.*

III. *Ne Paradoxon exiſtimemus, fœlicitatem etiam in corporis & fortunæ bonis ſtatuere:*

IV. *Neque certe in virtute, ac voluptate, niſi obſcœna intelligatur.*

5. Optimam illam virtutem, ſecundum quam, Fœlicitatem animi actionē finit Ariſt. ad definitum aliquod virtutis genus qui contrahunt, neſcii non advertunt, utrique fœlicitatis gradui oportere eam definitionem competere.

I. *Non eſt ergo una aliqua virtus optima.*

II *Verùm cum prudenter in duo genera virtutes omnes digerat Ariſt. Ethicas, nempe & Dianoeticas in quoque eorum genere, unam optimam eſſe concedimus, eaque Ethicarum eſt Juſtitia, & Dianoeti-*

noëticas, in quoque earum genere, unam optimam esse concedimus eaque Ethicarũ est Justitia, & Dianoëticarum Sapientia, ex quarũ duarum complexu oritur ea optima, cujus meminit Arist.

III. *Vnde sequitur unam duntaxat esse fœlicitatem, & non aliam Theoreticam, aliam Moralem.*

IV. *Hæ autem sunt unius totalis vel duo gradus, vel duæ partiales fœlicitates.*

6. Virtutum semina quæ creatoris beneficio insita sunt, primi parentis prævaricatione, iterum eversa sunt.

I. Non est ergo ἐφ' ἡμὶν ὃ τῶν ἀρετῶν λόγος.

II. Imo, non (nisi eo restituente qui dedit) virtus potest haberi: quod non modo patrum August. Damasceni, Hieronymi, & aliorum, verum etiam saniorum Philosophorum Platonis & Arist. testimonio facile est probare.

III. *Hinc est quod Scaliger, exexc. 107. Sect. 25. vehementer adeò locum illum apud Aristot. fine Eudem. qui divinos radios disertis verbis agnoscit, Deumque Opt. Max. virtutis causam supremam efficientem cum Platone in Menone post longam disputationem esse testatur, prædicare fecerit.*

IV. *Probamus tamen quod 7. Polit. Cap. 13. affirmatum est, tria alia virtutem efficere. præter Deum,* φύσιν, ἦθος, καὶ λόγον.

V. *At eos ridemus, qui virtutes morales, civiles vel Philosophicas à Theologicis distinguentes, eas fatentur in nostra esse potestate, has vero merissimo Dei dono, & propterea* κατ' ἐξοχὴν *habitus infusos appellantes inficiantur.*

VI. *Vnde Hom. in Iliad.* Ζεὺς ἀρετὴν ἀνδρέσσιν ὀφέλειτε μινυθεῖτε Ὁπῶς καν ἐθελουσιν, ὃ γὰρ κρατίστος ἅπαντων.

VII. *Quanquam verò veræ virtutis, nec acquisitio, nec possessio, nec retentio, secundum ipsius placita Arist. absque Dei gratia sit, non tamen propterea in homine vel coacta, vel simpliciter necessaria est.*

IIX. *Non enim quod violenter, sed quod volenter fit est laudabile.*

7. Homo λόγικον φύσει ζῶον est & μέτα λόγου πᾶσα πράξις αὐτοῦ Damas. 2. de Orthodoxa fide, Cap. 22. 2. etiam Eudem. Cap. 6. dicit Aristot. ὃ ἀνθρῶπος πραξέων τίνων ἐστιν ἀρχη μονῶν τῶν ζωῶν τῶν γὰρ ἀλλῶν οὐδεν εἰποῖμεν ἂν πρατ̃ειν.

I, Αὐτεξουσίως igitur appetit, vult, quærit, considerat, deliberat, iudicat, afficitur, eligit, ad agendum fertur, & in iis denique, quæ naturæ consentanea sunt, libera potestate agit.

II. Omne igitur studium, omnemque operam adhibere debet homo, ut electionem suam reformet, bonaque præ malis eligat, & amplectatur.

8. Quocunque voluntas se volverit, comitem semper habet rationem, non quod semper ex ratione, sed quod nunquam absque ratione moveatur.

I. Non est ergo inferior pars animæ rationis penitùs expers, sed quod superiori obediat, & ab ea gubernetur, & illustretur, rationis etiam particeps quodammodo dicitur.

II. Quare simpliciter nec expers, nec particeps rationis est.

III. Duplex propterea est vis animæ, ratione præditæ, una proprie, eam in se habens, alia, veluti filius, qui parentis dicto audiens est. Arist. 3. Ethic. Cap. 19.

IV. Fortitudo ergo Temperantia & Iustitia in experte animæ rationis parte, nec perficiuntur, nec præstantur, nisi Ira & Concupiscentia rationi obediant.

V. Neque Iræ & Concupiscentiæ perfectionem, aut consummationem in actus excellentia volumus consistere.

VI. Quin potius, quod in recta ratione, ut mensurâ & statera excellant, & participatione, vel saltem communicatione rationalia fiant.

VII. Sic anima rationalis, etiam non, nisi cum divina & intellectualis redditur, perfectionem suam assequitur.

IIX. Quamvis homini animæ partes inferiores, cum brutis communes esse, nemo non fateatur, non tamen sine discrimine.

IX De animæ denique partibus, & naturâ ut subjecti in quo omnes virtutes residents agit Ethicus Philosophus.

9 Omnem prorsus animi perturbationem evelli, neque possibile est, neque expedit.

I. Si ergo ratio inferiori animæ finem & modum imponat virtutesque morales ingeneret satis munere suo fungitur.

II. Hinc est, quod virtutes morales non sunt animi motuum & affectuum meræ vacuitates, sed tantum eorum concinnitates & mediocritates.

10. Mores (ut descriptionem quandam informem) sunt in bruta animæ parte qualitas quædam ratione consuetudinis quæ Græcis est ἦθος & interventu formata.

I *Percommodè igitur, Græci ἦθος appellârunt.*

II. Καὶ τὰς ἠθικὰς ἀρετὰς ἂν τὶς λέγῃ οὐκ ἂν τὶ πλεμμελεῖν δοξειεν. *Plutar. De educat. liberorum.*

11 Virtus est quiddam acquisitum: Ethic. 2. cap.

I *Ejus ergo materia ex quâ nec mens nostra est, nec quicquam ejus. Id enim omne naturale est.*

12 Actiones quæ virtutem antevertunt ejus sunt principia.

I *Moderatas igitur & temperatas eas esse necesse est.*

II *Non sunt tamen virtutis actiones.*

III *Quas volumus esse quæ eam consequuntur & ex ipsâ quasi emergunt.*

IV. *In hoc ergo differunt antecedentes & consequentes virtutis habitum actiones,*

Quod illæ sint imperfectæ,	*Hæ perfectæ,*
Illæ inconstantes,	*Hæ constantes,*
Illæ cum labore & pugna,	*Hæ cum facilitate & alacritate.*
Illæ efficiant habitum.	*Hæ ab habitu efficiantur.*

Unde etiã illæ ejus qui modo Musicam discit cantillationibus, hæ vero perfecti Musici modulationibus comparari dicantur: Pycol. Grad. 2. Moralis Philosophiæ cap. 5.

V. *Verùm cùm inter eadem extrema contineantur excessum scilicet & defectum, & cum recta ratione ambæ consentiant, ipso genere differre nemo non impudens & frontis perfrictæ asseret.*

VI. *Fortasse neque specie differunt, magis enim & minùs (differunt quippe ut perfectum & imperfectum, vel ut perfectius & imperfectius, quod est secundùm magis & minùs differre) in accidentibus non mutant formam.*

13 Virtutis moralis laus in actione consistit. Ethic. 4, cap. 1.

I *Quæ igitur præstantiores & splendidiores actiones edit, præstantior habenda est virtus.*

2 For-

II *Fortitudo ergo temperantiâ præstantior est,*

III *Tuetur enim & conservat inter homines civilem societatem, quod non facit temperantia.*

IV. *Sunt tamen hæ ita connexæ, ut altera sine altera esse nequeat.*

V. *Omnium verò moralium virtutum excellentissima est Iustitia: quæ omnis vel Distributiva, vel Commutativa est, nulla autem Permissiva ut non ita pridem excogitârunt quidam.*

14 Iustitia non est virtus intellectus: teste Arist. de repub. cap. 14. & Ethic. 1. cap. ultimo, & Ethic 6. cap. 2,

I. *Quod ergo Ethic. 5. cap. 1. dicitur, Iustitiam in se omnes alias virtutes complecti, sicuti & Theognidis illud,* Ἐν δὲ δικαιοσύνη συλλήβδην πᾶσ' ἀρετὴ ἔστιν. Πᾶς δ' ἀνὴρ ἀγαθὸς Κύρνε, δίκαιος ἐών. *de Iustitia universali & virtutibus solùm moralibus intelligendum est.*

II *Universalem autem Iustitiam nihil aliud esse volumus, quàm perfectam omnibus honestis legibus obedientiam.*

III. *Ejus oppositum esto* παρανομία, *seu (ut ita loquar) illegalitas qua omnes publicæ leges honestæ violantur, & contra omnium præscripta flagitiosè vivitur.*

IV *Differt & hæc universalis Iustitia à Virtute simpliciter, aut Morali in genere non re vel subjecto sed sola ratione.*

V. *Vnde non aliter virtus & universalis Iustitia differunt quàm Activus & Contemplativus intellectus, qui quoad subjectum unus & idem sunt, operationibus vero duo.*

VI. *Non est Ciceroni assentiendum, qui Iustitiam totam esse* ἀγάθον ἀλλότριον, *seque ad alienas tantum utilitates extendere & explicare autumat.*

VII. *Quasi verò justus tribuat alteri quod suum est, & non sibi etiam quod suum est.*

IIX. *Fatemur equidem, sicut medicus ex scopo & per se alterum curat, se autem ex accidente: ita Iustitiam (quod non satis cautis aversari videtur Arist. 5. Eth.) & ad habentem & ad alterum referre, hunc* πρωτῶς, *illum verò* δευτέρως.

15 Quod timet aliquis contrarium est ejus quod amat.

I. *Ex timore igitur procedit omnis amor.*

II. *Unde ridiculum est ad certum aliquod, aut definitum virtutis vel vitii genus amorem reducere.*

III. *Cum in qualibet virtute ordinatus amor, quemadmodum in quolibet vitio inordinatus includatur.*

IV. *In quolibet vitio timorẽ inordinatũ etiam includi agnoscimus.*

V. *Non est ergo quod miremur ambigere nonnullos, viros alioqui doctissimos, quid per timorem, aut timiditatem intelligendum sit, quem Antonomasticè Fortitudini opponit, Arist.*

VI. *Porro, cum mors proprium & speciale Fortitudinis sit objectum: non quævis Timiditas, sed ea duntaxat quæ circa mortis pericula est Fortitudini opponitur.*

VII. *Mortem tamen, & pleráque alia quandóque non metuere furor & insania est.*

IIX. *Sed cùm teste Arist. 1. Mag. Moral. cap. 10.* πάντα ἀρετὴ τοῦ καλοῦ ἕις τὸ καλον ἔστιν, *non semper ad quævis pericula intrepidus ruit vir fortis.*

16 Σωφροσύνη ἔστι μεσότης περὶ ἡδονης. Eth. 3. cap. 13.

I. *Quid mirum ergo quòd Scaliger Poet. 3. cap. 1. ceterarum virtutum omnium eam matrem appellaverit?*

II. *At bonâ ejus venâ normam appellitans, & prædicans, quanquam alioqui vir perspicacissimus, Temperantiam & Mediocritatem confundit.*

III *Virtutem tamen quandam esse cardinalem, ad quam & pleraque alia reducuntur, & cum qua necessariò omnes aliæ conjunguntur statuimus.*

IV. *Nulla siquidem sine ea virtus esse potest.*

V. *Quinetiam ipsis in contemplationibus, quemadmodum oportet, medium velit statuere: sine ea haud quaquam poterit efficere.*

17. Vt aliarum omnium virtutum cardinalium triplices sunt partes: Integrales, quas necesse est ad virtutem concurrere: Subjectivæ quæ species sunt, quarum diversitas à materiæ vel subjecti varietate pendet, & Potentiales, quæ virtutes sunt secundariæ principalis modum quem circa principalem aliquam materiam, servat, in alia aliqua materia in qua non adeo est difficile observantes.

I. *Tẽperantiæ igitur primi generis sunt partes honestas & verecũdia*

II *Secundi generis Abstinentia, Sobrietas Castitas, & Pudicitia: quarũ illæ ad Nutritivã hæ ad Generativam facultatẽ ordinantur.*

Et

III. *Et postremi generis sunt primò Continentia, Humilitas & Mansuetudo quæ totidem diversos interiores animi motus informant & ordinãt. Secũdò bona Ordinatio, Ornatus, & Austeritas quæ totidem exteriorum corporis motuum & actuum moderationẽ faciunt. Tertiò Parcitas & per se Sufficientia & αὐτάρκεια quæ duplicem circa exteriora diversam moderationem adhibent.*

18. Fœlicitas Theoretica secundum Arist. doctrinã, Ethic. 10. & in Metap. in Dei benedicti contemplatione sita est.

I. *Ut ergo Metaph. multis parasangis omnibus aliis disciplinis præferenda est, ita primi illius Entis Metap. contemplatio ad dignitatis fastigium longe sublimius evecta est quam omnes alia Metaph. contemplationes easque dignitate, jucunditate, & insignibus emolumentis superat.*

II *Veram itaque fœlicitatem quanquam Hypothesi non satis limatè poliit Arist. Thesi tamen attigit.*

III *Quamobrem itaque verebimur, in eorum ire sententiam qui Arist. eruditionis suæ splendore, non modo aliis Philosophis caliginem, excussisse asserunt: verumetiam in eo vera pietatis scintillas aliquas, & igniculos perspicuè emicuisse?*

Theses Physicæ.

DEplorata humani generis conditio, non modò Practicæ Philosophiæ medelam, sed etiam contemplativæ opem tanquam Solem & Collyriũ exigit: quæ nempe mentis aciem Thebanæ Sphyngis Gryphis impeditam, crassaque caligine obnubilatam expedit, illuminat, instruit, & informat.

I *Quanquam fortassis homini Practica accommodatior sit & vitæ ministra meritò nuncupanda: multò tamen iucundior, & magis necessaria est contemplativa.*

II *Omnes*

II *Omnes enim animi morbos, & defectus si percurramus, quo circa veri apprehensionem laboramus, maximè pernitiosus videbitur.*

III *Cum autem Arist. i. de An. cap 1. text. 1. scientiam aliam aliâ potiorem & præstantiorem existimet, vel quod sit certior, vel quod in rebus majorem admirationem excitantibus versetur, Speculatricium Disciplinarũ primas Metaphysicam tenere volumus.*

IV. *Mathematicam quidẽ Physicâ certiorẽ esse non negamus, utiliorem verò, vel ob hoc quod in mundi Machina tam effabrè summus ille Artifex cuncta poliverit, non injuriâ negamus.*

2. Quæcunque ab Arist. in Physica considerantur, sunt corporis naturalis vel principia vel species, vel affectiones.

I *Nihil aliud adæquatum ejus subjectum statuendum est quam corpus naturale quâ naturale.*

II *Non est itaque scientia simpliciter una.*

III *Percommodè partimur, primùm in communem & propriam: & communem itidem in duas partes dispertimus, quarum unâ de principiis, alterâ de affectionibus agitur: propriæ vero vel particularis tot sunto partes quot sunt ipsius corporis naturalis genera & divisiones*

3. Diversæ rerum rationes in diversis scientiis eas reponunt.

I *Plures ergo sunt scientię quam rerum genera.*

II *Vnde sano modo intelligendum quod dicit Arist. 3. de Anim. cap. 8. text. 38.* τιμιεται ἡ ἐπιστήμη ὥς τὰ πράγματα.

III, *Hinc est quod nihil vetet omnia naturæ principia & à Physico & à Metaphysico. quæ, ac cujusmodi sint legittimè posse declarari: fatemur tamen magno inter se intervallo dissidere eorum rationes & considerandi modos.*

IIII. *Et quamvis cum Arist. formarum agnoscendarum terminum ad quem usque, aut μέχρι τοῦ (ut ille loquitur) præscribendum minimè negemus, omnes tamen cùm materiæ immersas tum non (ne latum quidem unguem ab Arist. mente recedentes) considerationis Physicæ esse tuebimur.*

V *Materiam porro considerat Metaph. ut rem quandam per se solitariam, & proinde in prima sua notione: formam ut substantiam per quam res omnis composita existit: & privationem ut quoddam oppositionis genus sic & sic affectum.*

4 For

4. Forma omnis incorporea eſt & per ſe indiviſibilis.

I. *Primam ergo materiam ſine corpore qui faciunt non ſunt probandi: ſed quod de corpus ſine materia ſtatuentibus effert Iul. Scal. iis tribuendum videtur.*

II. *Volumus ſiquidem nec corpus ſine materia nec materiam ſine corpore exiſtere poſſe.*

III. *Fatemur nihilominùs materiam non eſſe corpus: qui verò ante etiam formæ ſuæ receptionem quantam per ſe & ſuapte natura eſſe inficiantur, dicant quæſo unde corpus naturale habeat ut ſit diviſibile.*

IV. *Ejus certè beneficio, & quantitate, quæcunque alia ſunt quanta talia eſſe credimus.*

V. *Ut quanquam rerum omnium ſubſtantialium imperfectiſſima ſit, non tamen ei ſeorſim à forma & per ſe ſpectatæ, quidditas & exiſtentia deneganda ſit.*

5. Quod formam ſuam repudiet materia cauſa eſt privatio: unde eſt quod Plato adeo eam deſpexerit, & Ariſt. maleficam eam appellaverit.

I. *Formam ergo nec appetit privatio, nec privationem forma, optaret alioqui idem interitum ſui.*

II. *Quanquam, per privationem forma capacitatem habeat materia, per ſe tamen & ſuapte natura formam appetit, inque eam Dei providentia quadam eſt ordinata.*

III. *Materia eſſentiale eſt & neceſſariũ formam ſemper appetere.*

IV. *Et propterea non modo naturalium omnium generabilitatis & corruptibilitatis, ſed etiam perpetuitatis, aut etiam (ut ita loquar) perpetuabilitatis, cauſa eſt.*

V. *Quod unius generatio alterius ſemper ſit corruptio cauſa quoque eſt materia.*

VI. *Unde nequit unquam à forma ſeorſim ſpectari, quod qui aſſerunt cum Scoto, ignorant plurimas ac penè infinitas controverſias & contradictiones ſe implicare.*

6. Prima materia ratione & eſſentiâ ſuâ eſt potentia.

I. *Rectiùs igitur diſcipulus Ariſt. quàm Magiſter Plato, minùs verè ac propriè eam, quàm formam hoc aliquid nominandam exiſtimavit.*

II. *Verùm eum* hoc aliquid *concedant omnes esse quod actu est, nec forma, nec materia, nec privatio est hoc aliquid.*

III. *Distinguendum itaque inter actum & esse actu, & potentiam & esse potentiâ.*

IV. *Dubium idcirco est an satis philosophicè dici possit vel materiam esse potentiâ vel formam esse actu: qui asserunt egrè & difficulter progressum in infinitum poterunt effugere.*

7. Compositi generatio alia nulla est, quam formæ è materiæ potentia eductio, & materiæ ipsius per formam exornatio.

I. *Formam igitur (quicquid aliis videatur) primam substantiam vel essentiam constituimus.*

II. *Nec obstat quod compositum non item forma, in procreando naturæ finis sit & extremum.*

III. *Quamobrem non, quæ minùs participant potentiam veriùs & magis propriè esse existimandum est.*

IV. *Vnde elementa quatuor, quòd primæ materiæ maximè sint affinia, & plurimum idcoque potentiæ obtineant, omnium corporum substantiæ naturam minimè participant.*

V. *Intelligentiæ verò & substantiæ materiæ omnis expertes maximè sunt substantiæ: & corporearum veriores & magis propriè sunt secundæ quàm primæ.*

VI. *Quod autem ait Arist. lib. Cat. cap. de subst. primas scilicet magis esse substantias quam secundas, id, Interpretibus omnibus sanioribus astipulantibus, dictum volumus quoad pluribus subsistentiam non autem majorem & veriorem naturæ substantiæ participationem.*

8 In caducis id tantùm divini nomine indigitandum est, quod rationis & intelligentiæ est particeps.

I. *Nemini ergo admirandum videri debet, Naturam divinam esse in Lib. de Divin. Aristotelem negasse.*

II. *Est tamen Dei velut ministra, quæ ultimum efficientiæ locum in generandis rebus à Deo ipso accepit.*

III. *Perperam itaque cum divinam negat dæmoniam appellavit.*

IV. *Anima autem humana cum divinam eam esse fateatur atque*

que appellet non eſt natura.

V. *Quare neque ex traduce.*

VI. *Cùm eorum propriè ſit natura quorum naſci eſt proprium, Cœleſtia eo duntaxat nomine naturalia cenſenda ſunt, quòd in ſe motus ſui habeant principium, & moveantur.*

VII. *Proprie itaque natura acceptа utque adnaſcentia attinet inter naturalia minime numeranda ſunt.*

IIX. *Corporis igitur caduci & Cœleſtis non ſunt eadem principia niſi per Analogiam.*

9 Per motum qui actus eſt annexã ſemper habens potentiam facit omnia natura quæ facere eſt apta, & ſemetipſã nobis patefacit.

I. *Omnium itaque affectionum corporis naturalis tractatione ſua digniſsimam meritò exiſtimavit Ariſt. inque natura ipſius definitione ejus mentionem fecit.*

II. *Quies tamen Naturæ conjunctior eſt, & congruentior quàm ullus motus eſſe poteſt.*

III. *Cum motus cauſa ſit quies, ejus etiam natura eſt expetentior.*

IV. *Nulla idcirco ratio eſt, cur potiùs Quies dicatur Motus privatio quàm Motus Quietis.*

V. *Imo quod movetur ideo movetur, quia non quieſcit: ſed quod quieſcit, quieſcit, quia quieſcit.*

VI. *Sequitur præterea motum actum tantum eſſe ſecundum & imperfectum, nam primus actus ſemper eſt ſubſtantia: & proinde nullum accidens actum habet primum.*

VII. *Et motus ipſe de motu Cœleſti præcipuè dicitur, & Ariſt. 3. Acroat. definitio ei primo convenit.*

IIX. *Quare Cœli motus duratio & perpetuitas imperfectionem potius quam perfectionem arguunt.*

IX. *Inſcitè argumentantur & neſciunt in quo actus imperfectio conſiſtat qui ex motus duratione, uniformitate, & cauſalitate non omni perfectione deſtitutum colligunt, & quod caduca magis ſint potentiâ quam Cœleſtia, motus definitionem iis potius quam hiſce accommodant.*

10. Mentibus & ſpiritibus omnibus creatis & motum cui competat Ariſtotel. definitio & terminos quibus circum-

scriba ntur absurdum non est tribuere.

I *Neque motus, neque finitudo sunt propria, & adæquatæ corporis naturalis affectiones.*

II. *Motum ibi definitum Homonymum ab uno esse contendimus.*

III *Comprehendit etenim ea definitio, non modo generationem, & corruptionem substantialem: verumetiam (ipso teste Arist.) actum discendi, qui motus mentis est & intellectus.*

11 In mundi hac universitate singula, ut ordo, & decoris aut pulchritudinis excellentia quædã omnem ornatũ continens eluceat, pro cujuslibet conditione, & natura propriis suis locis, quasi separatis suis stationibus disponi oportebat.

I *Est ergo omni corpori naturali suus locus.*

II *Quare Cœlum, luce tam clara, mole tam ampla, agitatione tam rapida, & mundi partium omnium præstantissima, meritò supremam mundi sedem, & locum sibi vendicavit.*

III *Nolumus tamen per se loco, vel contineri, vel egere.*

IV *Vnde loci conditiones, & definitio, 4. Physic. in Cœli locum nusquam certè quadrabunt.*

V. *Sed cùm locum ibi definitum non modò ordinem locatorum includere necesse sit, verumetiam facultate quadam conservandi, continendi & terminandi præditum esse oporteat, sola quatuor elementa per se & propriè in loco esse poterint.*

12 Tempori quod sit per priùs, & posteriùs, motus numeratus metiri volumus competere.

I *Vt tempus est motus præsertim cœlestis quædam affectio, Arist. 12. Metap. text. 29. ita temporis affectionem, quandam metiri statuimus.*

II *Tempori ergo non est essentiale motum metiri: nec sublato motu tolletur necessariò tempus, nisi fortè per accidens.*

III *Licet vocet Aristoteles tempus, numerum, motus, quietem tamen etiam quid impedit quominus metiatur?*

IV *Vt etiam Cœlis non moventibus tempus re ipsa possit existere.*

V *Quam futilis igitur est eorum opinio, qui tempus & motum re ipsa minimè distinguunt.*

VI *Admiramur non minùs aliorum insciti am, qui cum continuitatem*

tem ipſam motus formam efficiant, tempus tamen & continuitatem idem eſſe exiſtimant.

VII. *Volumus præterea à temporis tractationem ad Cœlum magis, quam ullam aliam corporis naturalis ſpeciem ſpectare:*

IIX. *Vt ridiculum ſit dicere, quæcunque in Acromat. tractantur primò ad corpus caducum ſpectare, deinde ad cœleſtia tantum per ſimilitudinem quandam accommodari.*

13. Primus vel æternus motus Phyſicus eſt, & conſiderationis Phyſicæ.

I. *Primi ergo motoris in 8. Phyſ. ex motu primo demonſtratio Phyſica eſt, non Metaphyſica.*

II. *Deus itaque qui Ariſtoteli eſt Primus Motor qua primum Primi Motus principium efficiens eſt, Phyſicæ non Metaphyſicæ erit conſiderationis.*

III. *Metaphyſicæ quidem licere vel æternorum motorum numerum, vel materiæ eſſe expertes demonſtrare non eſſe dicendum.*

IV. *Hinc etiam errare eos, qui Phyſico, non primi efficientis & finis, ſed tantum materiæ, & formæ (ſi quæ ſit) explicationem tribuunt evincimus.*

14. Cœli materia omnis ad formam potentiæ eſt expers.

I. *Nulla ergo Cœlo potentia eſt paſſiva.*

II. *Unde naturâ ſuâ incorruptibile meritò habetur.*

III. *Omnium idcirco rerum naturalium non eſt eadem materia, ſed Cœleſtium, & ſublunarium prorſus ſunt abſimiles & diverſæ.*

IV. *Quid vetat activo interno principio à materia diſtincto Cœlum deſtitui aſſeverare?*

V. *Unde Cœleſtis motus de Cœlo demonſtrationis medium, cauſa tantum externa eſt.*

VI. *Cœli enim natura medium eſſe nequit, nam cùm Cœlum ſit materia in ſe actuata, & proinde non differt Cœli natura ab ipſo Cœlo, medium & ſubjectum minimè different.*

15. Quemadmodum non ſunt in loco Cœleſtia neceſſario & pro ſui conſervatione: ita neque eorum motus ἁπλῶς neceſſarius eſt, nec ut ſint, ſed ut bene ſint motu egent.

I. *Abſurdum ergo & ἀφύσικον eſt dicere, Cœlum ſi movere deſineret eſſe deſineret.*

II *Cum Cœli motus sit accidens, eo sublato non modo Cœlum, sed etiam elementa; atque adeo totum hunc mundum visibilem inferiorem posse existere, quid est quod vereamur asserere?*

16 Omne corpus naturale propter quandam operationem est. Arist. 2. de Cœlo, Cap. 3. Text. 17.

I *Est ergo Cœli motus etiam naturalis, & non tantum voluntarius: ei enim naturâ suâ in orbem moveri inditum est.*

II *Sed cum ejus materia ad motum tantùm propensionem habeat, à solis Intelligentiis Motricibus actu moveri non refragabimur.*

III *Hinc habere formam informantem audacter, & intrepidè negare animus nobis augetur.*

IV *Quare, quamvis omnis forma sit essentia, non tamen contra omnis essentia est forma.*

V *Nec quæcunque essentiam habent, formam etiam & naturam necessariò habent.*

17 Cœlum, cujus motus est simplex ὁμαλης & uniformis, non modò propiùs, modò longiùs á nobis recedit.

I *Ab eo igitur effectuum varietas, quam in inferiori mundo videre est, nec semper, nec solo, nec toto pendet.*

II *Astris ergo crassioribus ejus partibus, calorem, vel aërem calefaciendo, atterendo, & attenuando, vel terram radiis, quasi iterum reflectit percutiendo producentibus, & materiæ primæ tantum tribuatur.*

III *Negamus tamen, vel calori, vel ullis aliis hujusmodi qualitatibus, formaliter, vel παθητικῶς ut veteres somniârunt, 1. Metaph. Cap. 3. esse obnoxia.*

IV *Sunt ergo sydera, nec frigida, nec calida.*

V *Caloris, qui a Cœlo in mundo hoc inferiori efficitur, nec una tantum est causa, nec plures duabus, motu scilicet & lumine.*

VI *Si quorum causę non sunt eædem, ipsa etiam sunt diversa: quis omnem à Cœlo calorem, advectum eundem specie esse dixerit?*

VII *Quantò magis ergo infimæ & supremæ aëris regionis, ab eo qui medię est differret? imò non modo origine, sed & genere propemodum distinguimus.*

IIX *Iis etenim assentiendum, qui tria caloris diversa genera in mundo inferiori statuentes, in Cœlestem, elementarem, & vitalem distribuunt.*

IX *Fa-*

IX. *Falsum itaque quod asserunt alii, Cœlesti actione seclusa nostratia hæc inferiora, actu nec calida, nec frigida existere.*

X. *Nec magis eorum dogma probandum, qui omnes elementorum qualitates tam primas quàm secundas à Cœlo penitùs pendere autumant, eorumque formas non nisi præsuppositâ Cœli actione insequi contendunt.*

18 Spirituum ope inceduntanimalia.

I. *Horum ergo motus, sicut & omnis rectus, tam naturalis, quàm violentus est ἀνομαλὴς, atque & in fine & in principio pauci ac debiles existunt: ita motus est in medio velocior.*

II. *Non tantum ob grævitatis, & levitatis incrementum crescit omnis motus velocitas.*

III. *Omnis inæqualitatis causa proxima & principalis est inæqualis medii resistentia.*

IV. *Ut ubi non sit medium resistens, ibi motus continuus est æqualis.*

V. *Quare solus Cœli motus est ejusmodi.*

VI. *Sunt autẽ a principio remotio vel distantia, medii magnitudo, virium naturalium reparatio, & hujusmodi inæquabilitatis motus causa tantum remota, & per accidens.*

19. Omnis misti corporis naturalis motus ab elementis, & eorum qualitatibus efficitur.

I. *Cum ergo ex omnibus elementis fiat mistum novam aliquam formam substantialem quæ reipsa non existebat (durum licet videbitur) produci intrepidè negamus.*

II. *Hinc est quòd non pereant elementa cum mistum generatur.*

III. *Mistio igitur proprie, & per se non est generatio.*

IV. *Cum mistum ab elementis specie quodammodo differre nunquam sit controversum, elementorum formas secundum excellentias suas in mistis manere ἀλόγον est dicere.*

V. *Eidem etiam inerunt contraria si non sunt in mistas fracta: & castigata elementorum qualitates.*

VI. *Fortassis ergo, ut genus aliud est Physicum, aliud est Logicum: ita pari ratione species erit alia Physica, alia Logica.*

20 Locus περὶ τὸ μέσον miſtis aptè generandis eſt aptiſſimus

I *Terra ergo in omni perfectè miſto prædominatur.*

II *Vnde nullum eſt miſtum, penitus vel (ut in ſcholis loquimur) ad pondus æquale.*

III *Quæ igitur in regionibus aëris gignuntur, aquâ vel igne elementari, imperfectè miſta cenſenda ſunt.*

21 Materia prima æterna eſt.

I *Cum igitur nequeat ſine formâ aliquâ exiſtere unâ recedente forma aliam confeſtim recipiet.*

II *Hinc eſt, quòd unius generatio ſit alterius corruptio.*

II *Non modò quòd corpora naturalia gigni & corrumpi poſſint, verumetiam perpetuari, ſoli primæ materiæ acceptum referunt.*

IV *Vt ſit non ſolùm ſingularium mundi inferioris partium corruptibilitatis, verumetiam ſecundum Philoſophiæ principia totius miverſi perpetuabilitatis cauſa.*

22 Elementis duplices inditæ ſunt qualitates: quatuor ſcilicet motrices, ſub duobus nominibus, & duæ alteratrices, ex quibus duplex eorum eſſe, unum abſolutum, aliud in reſpectu poſitum conſurgit.

I *Non mirandum igitur quòd bis in Phyſica conſiderentur, nimirum in Lib. de Cœlo, & Lib. de Ort. & Int.*

II *Motrices elementorum qualitates ipſorum eſſentiam magis attingunt quàm alteratrices.*

III *Alteratrices verò magis propriè elementares appellantur.*

23 Vnius mutationis, alia mutatio terminus eſſe nequit: ut phyſ. 5.

I *Zabarellæ igitur qui accretionis terminum à quo ſtatuit ſubitam mutationem in ſubſtantiam, non eſt aſſentiendum.*

I *Quin potius quantitatem minorem unde ad majorem per ſolam extenſionem ex alimento in ſubſtantiam converſo exiſtimemus.*

III *Per pulſum igitur nulla fit accretio, niſi in pueri manu cicatricem factam tempore præcedente queat pelli ad digitum, quod nunquam contingit.*

IV *Quod accreſcit ampliorem etiam locum neceſſariò requirit.*

V. *Loci propterea mutatio accretionem neceſſariò conſequitur.*

24 Id

24. Id tantum halitus remittere valet, quod partes alias habet craſſas alias ſubtiles.

I. *Ex elementis igitur ſolis aquâ & terra Meteoris materia eſſe poſſunt.*

II. *Unde etiam duo tantùm (vapor nempe & exhalatio) halituum genera conſtituenda ſunt.*

III. *Rectè propterea vaporem aquam & exhalationem reipſa terram Meteor. 1. Cap. 4. cenſuit Philoſ. appellandam.*

25 Anima quæ ut corporis animati forma in Phyſ. ab Ariſt. conſideratur ἀμέριστος eſt, membraque ac partes propriè dictas non habet.

I. *Ergo ubi anima eſt, ibi tota eſt: cumque materiam ejuſque partes ſingulas informare & actuare formæ Phyſicæ inſigne hoc ſit privilegium, erit cum in toto corpore tum in qualibet ejus parte.*

II. *Omnes idcirco etiam animæ facultates cuilibet parti inerunt.*

III. *Quoniam vero ſpirituum, intelligentiarum, & animarum omnium ea ſit natura vel conditio, ut quoties opus fuerit queant ſeſe & dilatare & contrahere abſciſſa aliqua corporis parte non propterea neceſſario ipſa anima abſcindetur.*

IV. *Ut non ſit negandū etiã manibus & pedibus videndi & audiendi facultatẽ ineſſe, viderent utique & audirent ſi iis eſſent oculi & aures.*

V. *Quid obſtat igitur animam etiam ſuo modo quantam ſtatuere? negandum profecto fuerit alioquin eſſe finitam.*

VI. *Nec (quod voluit Zabar. quem de animæ partitione librum quendam inſcripſiſſe duriuſculum fuit) animæ ex accidente quantitativa extenſio attribuenda eſt.*

VII. *Qui vero animam totum quoddam poteſtativum nuncupant, inque poteſtates, aut facultates dividunt parum aut nihil nobis diſplicent.*

26 Habent omnes animæ facultates deſtinata & determinata organa operationibus ſuis inſervientia.

I. *Probemus igitur pulchram eam Zabarella diſtinctionem dicentis originaliter omnes animæ facultates ſingulis corporis partibus ineſſe, ſubjectivè verò minimè.*

27 Videt oculus rem procul ſitam, etiam in momento:

nec tamen quicquid in ejus superficie appâret, cõtiruò videtur.

I *Propiùs ergo ad veritatem accedunt, qui in oculi superficie, specie ad se delata visionem fieri existimabant, quàm qui ut fiat visio putant ab oculo exire radios ad speciem usque, eamque secum ad oculum referre.*

II *Iis etiam veriores sunt qui vel radios visivos, in medio illuminato speciem illam apprehendere, & secum inde ad oculum advehere, vel qui extra oculum fieri contendunt.*

III *Ergo solus verus Aristoteles, qui speciem visibilem ad oculum ire facit, ac intra pupillam recipi ac indicari.*

28 Ἡ ψύχη τὰ ὄντα πῶς ἐστι πάντα Arist. 3. de Anim. Cap. 9. Text. 37.

I *Tria ergo sunt quæ omnia sunt.*

1. *Deus qui est simpliciter, & à se ipso*

2. *Materia prima quæ omnia est, omnes naturales formas potestate recipiendi.*

3. *Intellectus noster, qui omnia est potestate recipiendo intelligibilia.*

II *Qui singulare intellectum cognoscere eunt inficias ridiculi re ipsa se ipsos non intelligunt, & cum de singulari disputent; de eo disputare nequeunt.*

III *Annon cum ἀξιόπιστον sit ex Arist. 1. Post. universale esse singularis causam, magis intelliget singulare quàm universale?*

IV *Sed cùm res ipsa singularis foris maneat, nullisque machinis eam concludere aut portare poterit intellectus, fatendum necessariò est interiorem speciem: quæ intellectum transmittitur, & exteriorem quæ foris manet, diversæ esse notionis.*

V *Erit procul dub. ò illa spiritualis, hæc realis.*

VI *Cognoscit autem intellectus primò speciem receptam: 2. rem quæ per eam significatur: & hæc intellectio recta est.*

VII *Reflexa autem est, cum intellectus se ad seipsum convertit, seque ac suam intellectionem intelligit, quæ scit sine specie spirituali, sicut etiam speciem immissam, sine specie aliâ intelligit.*

THESES

Theſes Sphæricæ.

IN Cœlo Deus glorioſus bonitatem & omnipotentiam ſuam maximè manifeſtat.

I. *Valde ergo appoſitè (propè etiam dixerim divinè) Plato oculorum aciem ad Aſtronomiæ contemplationem, Deorum munere nobis conceſſam eſſe exiſtimavit.*

II. *Ptolemæo etiam adinitium Almeg. qui Aſtronomiam inter primas & excellentiſsimas ſcientias numerandam cenſuit, aſſentior.*

III. *Maximas idcirco debemus iis gratias qui Sphæram materialem, in qua tanquam in ſpeculo ſpectare poſſumus, quæ re ipſa in Cœlo à nobis cerni nequeunt effabricârunt.*

2 Vni eidemque Sphæræ duos naturales motus, multò magis tres ineſſe ἀφύσικον eſt dicere.

I. *Cum ergo Sphæram ſtellatam, præter motum ſuum aliis duobus progredi deprehendant Aſtronomi ſuprà Cœlum, quod firmamentum vulgo appellatur, duos alios ſuperiores meritò conſtituunt.*

II. *Solo ergo intuitu ſenſuum omnium nobiliſsimo ad Cœleſtium cognitionem pervenimus.*

III. *Non ſatis Aſtronomiæ peritum ſe præbuit* Ariſt. *dum firmamentum primum mobile appellaret.*

IV. *Nec motus ab ortu in occaſum eſt proprius Primi Mobilis, ſicuti, nec Planetarum ab occaſu in ortum.*

V. *Vterque ergo eſt duplex.*

3. Vt orbes mira quadam ſymphonia ad producendos varios, quos in mundo inferiori cernimus effectus ſeſe mutuò adjuvent, tota Cœleſtis globi Machina ordinem quendam & Symmetriam in omnes diffuſam obtinet.

I. *Nona igitur & decima Sphæra, etſi ipſæ ſtellis careant, motibus tamen ſuis, aliis communibus ſyderibus, mirabili quodam modo proſunt.*

II. *Fatebimur igitur, ſtellarum cauſſâ omnes orbes eſſe fabrefactos: negabimus tamen ſi ſtellas non habeant, incaſſum propterea eſſe conditos, & finem haud quaquam ſuum aſſequutos eſſe.*

III *Aversamur eorum judicium, qui tantùm Cœlum Astriferum Astrologicæ considerationis esse asserunt.*

4 Circulum Æquinoctialē (quem primi motus Cingulum nuncupāt Astronomi) à polis Primi Mobilis æqualiter distare asserimus.

I *Cum ergo quanto magis à Polis stella abfuerit, tanto majorem circulum versatione sua describit, quæ in Æquinoctiali fuerit maximos reor circulos conficere.*

II *Quare etsi eodem temporis spatio omnes stellæ infixæ cursum suum absolvant, impari tamen celeritate versantur.*

5. Sol Æquinoctialem transiens vix minimum momentū in eo commoratur.

I. *In eo igitur non tamdiu hæret, ut queat vel unum diem nocti adæquare.*

II. *Quod ergo dicitur, Solem dum in Æquinoctiali existit Æquinoctium efficere, non est credendum.*

III. *Quin potius Sol ubi Æquinoctialem pertransierit, vel diem noctem vel noctem diem (quanquam nos nullam sensibilem differentiam comperiamus) superare faciet.*

6. Sol semper currit per medium Zodiaci.

I *Sol ergo certiori lege permeat quàm ceteri Planetæ qui vndequaque vagantur.*

7 Cuilibet terræ puncto, tam secundum longitudinem quàm latitudinem proprium suum Zenith supereminet.

I. *Ergo nec plurium nec ejusdem in diversis locis idem est Horizon.*

II. *Ut Zenith & Nadir, ita etiam Horizontes & Meridianus si exacto stemus rationis examini innumeros statuimus.*

III. *Si verò unus eò usque extendatur donec sensibus perspicuæ apparentiæ mutentur, certo posse numero definiri (quanquam laboriosissimum id fuerit, si non impossibile) non negabimus.*

IV. *Meritò itaque nec Geographi nec Astronomi Horizontes certo numero definiverunt: Meridianum verò quòd secundum longitudinem tantùm varietur unum (scilicet) per binos Æquinoctialis gradus oppositos extendentes 180. constituerunt.*

8 Circa Tropos propter parum sensibilem declinationem mu-

mutationis, Sol ſtare videtur, unde eadem dic[illegible] Tropica & Solſtitialia.

I. *Quamvis uſus, uti Solſtitium alterum imum alter[illegible] tum appellare receperit, ita Tropici circuli dicuntur, quibus So[illegible] converſiones fiunt, & Solſtitiales, quibus Sol vel altiſſimus vel humi[illegible] limus incedit, nullo tamen propriè & reipſa diſcrimine inter ſe differunt.*

9 Colurus æquinoctiorum in Sphæra recta tranſit per Zenith.

I. *Deſignat igitur duo Solſtitia alta degentibus inter Tropicos, Sole ſcilicet per eorum Zenith tranſeunte.*

II, *Unde quamvis extra Tropicos degentes duo tantùm habeant Solſtitia, unum æſtivum principio Cancri, & hybernum aliud principio Capricorni: quatuor tamen habent, qui intra eos habitant, nam ut bis altiſſimum, ita pariter bis humillimum Solem habere eos neceſſum eſt.*

Theſes Metaphyſicæ.

ENs univerſum quà habet eſſentiam ſubdit ſibi Metaph. ejuſque exactam inquirit cognitionẽ.

I. *Nullius igitur nec entis, nec conceptus, nec nominis datur contempl atio, quam non jure optimo vendicat ſibi Metaph.*

II. *Hinc eſt quòd omnium ſcientiarũ domina nuncupetur Metap. omneſque aliæ ἀκέφαλοι ſint, & ea ſola ἐγκέφαλος.*

III. *Probamus nihilominùs quod ait Philoſophus, 11. Metaph. Cap. 13. ubi inquit,* ἐστὶ ἡ τῶ φιλόσοφου ἐπιστημη τοῦ ὀντος ἡ ὢν καθολοῦ καὶ οὐ κατα μέρος.

IIII. *Nullam propterea à entis partem vel ſpeciem per ſe animo ſuo librat Metaph. eſſent utique omnes aliæ ſcientiæ ſuperfluæ, cùm quicquid ſpeculatur vel penſitat Metaph. id* ἀκριβῶς *conſideret.*

2 Prima entis natura ſeipſam quodammodo verum, unum & bonum efficit.

I. *Alia igitur eſt entis qua ens eſt apprehenſio, alia ut eſt unum, bonum vel verum.*

II *Hæc ergo nec inter ſe, nec cum ipſo ente rem unam conſtituunt*

3 Sed

III. *Sed cùm sint entis accidentia aut παθη simplicia, quæ sine distinctione singula cum eo reciprocantur, solâ ratione aut definitione, non autem subjecto, vel reipsâ, vel inter se, vel ab ente ipso distinguimus.*

IV. *Nihil obstat quod dicit Philosophus 7. Metaph. Text. 32. vel Scal. exerc. 307. sect. 57. Unum scilicet verum & bonum extra Entis ipsius essentiam non esse: quominùs autem ipsa esse Entia nunquam refragemur.*

V. *In Metaph. tamen qua Entia non considerantur.*

3. Omne finitum aliud habet quod est in actu aliud quod est in potentia.

I. *Solus Deus in sæcula benedictus qui Ens unum simplicissimum est ex actu & potentia non est compositus.*

II. *Ergo & formæ omnes & materia prima & accidentia ex actu & potentia quodammodo componuntur.*

III. *At quoniam quò quid est perfectius eò etiam est simplicius & contrà, unde compositissimum erit imperfectissimum & simplicissimum perfectissimum, ut Top. 1. Cap. 2. formæ immateriales materialibus erunt perfectiores & materiales materiâ primâ, & materia cæteris entibus universis.*

4. Quod est, posterius est eo quo est.

I. *Ergo concretum est posterius abstracto.*

II. *Non sunt idcirco concretum & abstractum idem nec ejusdem prædicamenti.*

III. *Abstractum concreti tantum est abstractum non item abstracti cujusmodi in rerum censum temere admodum invexit Scotus dum* albedinis albedinitatem *faciat abstractum. Sentent. 1. dist. 2 quæst. 5. 1.*

IV. *Cùm sint & substantiarum & accidentium concreta, non sunt (ut vulgo creditur) accidentium tantum abstracta.*

V. *Quid impedit quominus abstracta substantiarũ genera sint, vel species abstractorum inferiorum?*

VI. *Unde non modo non καταφάντος est quod dici solet, quicquid prædicatur in concreto prædicari, sed falsum penitus est, & absurdum.*

VII. *Nobis equidem arridebunt potius, qui dixerint quicquid propriè, & per se prædicatur in abstracto prædicari.*

IIX. *Ens autem nec ſimpliciter concre[tum] ſtractum eſt.*

IX *Concretum enim & abſtractum non ſunt Entia [per]terum alterius admittit prædicationem.*

5 Vt ſit aliquid neceſſariò, ab eo quod non eſt nec[eſſa]rio nunquam, quantum ſciam, futurum eſt.

I. *A contingente igitur nunquam fluet neceſſarium.*

II. *Complexum tamen neceſſarium in duobus terminis ſimul contingentibus poſſe conſiſtere non everſabor.*

III. *Infra Deum ſimpliciter neceſſarias complexiones concedere non eſt (quod multi aſſerunt) rationis metas egredi.*

IV. *Nequit enim vel virtute divina definitio à definito ſuo ſeparari.*

V. *Nullum tamen ſimplex neceſſarium ſimpliciter admittendũ eſt.*

VI *Nulla exiſtentia nec ſubſtantiæ, nec accidentis de ſubjecto ſuo ſimpliciter neceſſario unquam prædicatur.*

VII. *Neque id tantùm complexum neceſſarium ſimpliciter cenſendum eſt, cujus alterum ab altero minimè dependet ſed potiùs cujus alterum ab altero nequit abeſſe.*

6 Omne quod eſt, aut eſt extra mentem, intra mentem, aut ipſa mens, quódque extra mentem eſt, aut revera eſt, aut fictitiè: ſicuti quod intra eſt vel eſt intra mentem ipſam, vel mentis noſtræ cogitationem.

I *Hinc patet vera inter reale & intentionale differentia.*

II. *Item duo utriuſque eſſe genera, & nihil nec re ipſa eſſe, nec fingi poſſe, quod à cogitatione non concludatur.*

III. *Mens itaque ſemetipſam ingreditur, & quid ſit cogitatio, ipsâ cogitatione cogitamus:*

IV. *Porrò quod extra mentem eſt, mente non cogitante, id reale eſt, & quod extra mentem eſt, non niſi mente cogitante id fictitium eſt: ut quod intra eſt, non niſi cogitante mente, id in ea fictitium eſt.*

V. *Hinc ſequitur omne, tam quod eſt, quàm quod non eſt, intentionale eſſe poſſe.*

7 Vnius verè & per ſe pars nulla eſt in actu. Ariſt. 7. Metaph. cap. 13. & cujus quælibet pars eſt in actu, id unum tantùm eſt per accidens.

I. *Sub-*

III. *Sed cùm sint entis accidentia aut παθη simplicia, quæ sine distinctione singula cum eo reciprocantur, solâ ratione aut definitione, non autem subjecto, vel reipsâ, vel inter se, vel ab ente ipso distinguimus.*

IV. *Nihil obstat quod dicit Philosophus 7. Metaph. Text. 32. vel Scal. exerc. 307. sect. 57. Unum scilicet verum & bonum extra Entis ipsius essentiam non esse: quominùs autem ista esse Entia nunquam refragemur.*

V. *In Metaph. tamen qua Entia non considerantur.*

3. Omne finitum aliud habet quod est in actu aliud quod est in potentia.

I. *Solus Deus in sæcula benedictus qui Ens unum simplicissimum est ex actu & potentia non est compositus.*

II. *Ergo & formæ omnes & materia prima & accidentia ex actu & potentia quodammodo componuntur.*

III. *At quoniam quò quid est perfectius eò etiam est simplicius & contrà, unde compositissimum erit imperfectissimum & simplicissimum perfectissimum, ut Top. 1. Cap. 2. formæ immateriales materialibus erunt perfectiores & materiales materiâ primâ, & materia cæteris entibus universis.*

4. Quod est, posterius est eo quo est.

I. *Ergo concretum est posterius abstracto.*

II. *Non sunt idcirco concretum & abstractum idem nec ejusdem prædicamenti.*

III. *Abstractum concreti tantum est abstractum non item abstracti cujusmodi in rerum censum temere admodum invexit Scotus dum* albedinis albedinitatem *facit abstractum. Sentent. 1. dist. 2 quæst. 5. 1.*

IV. *Cùm sint & substantiarum & accidentium concreta, non sunt (ut vulgo creditur) accidentium tantum abstracta.*

V. *Quid impedit quominus abstracta substantiarũ genera sint, vel species abstractorum inferiorum?*

VI. *Unde non modo non καταπάντος est quod dici solet, quicquid prædicatur in concreto prædicari, sed falsum penitus est, & absurdum.*

VII. *Nobis equidem arridebunt potius, qui dixerint quicquid propriè, & per se prædicatur in abstracto prædicari.*

IIx

IIX. *Ens autem nec simpliciter concretum, nec* [illegible] *stractum est.*

IX *Concretum enim & abstractum non sunt Entia Logica, nec terum alterius admittit prædicationem.*

5 Vt sit aliquid necessariò, ab eo quod non est necessariò nunquam, quantum sciam, futurum est.

I. *A contingente igitur nunquam fluet necessarium.*

II. *Complexum tamen necessarium in duobus terminis simul contingentibus posse consistere non aversabor.*

III. *Infra Deum simpliciter necessarias complexiones concedere non est (quod multi asserunt) rationis metas egredi.*

IV. *Nequit enim vel virtute divina definitio à definito suo separari.*

V. *Nullum tamen simplex necessarium simpliciter admittendũ est.*

VI *Nulla existentia nec substantiæ, nec accidentis de subjecto suo simpliciter necessario unquam prædicatur.*

VII. *Neque id tamùm complexum necessarium simpliciter censendum est, cujus alterum ab altero minimè dependet sed potiùs cujus alterum ab altero nequit abesse.*

6 Omne quod est, aut est extra mentem, intra mentem, aut ipsa mens, quódque extra mentem est, aut revera est, aut fictitiè: sicuti quod intra est vel est intra mentem ipsam, vel mentis nostræ cogitationem.

I *Hinc patet vera inter reale & intentionale differentia.*

II. *Item duo utriusque esse genera, & nihil nec re ipsa esse, nec fingi posse, quod à cogitatione non concludatur.*

III. *Mens itaque semetipsam ingreditur, & quid sit cogitatio, ipsâ cogitatione cogitamus:*

IV. *Porrò quod extra mentem est, mente non cogitante, id reale est, & quod extra mentem est, non nisi mente cogitante id fictitium est: ut quod intra est, non nisi cogitante mente, id in ea fictitium est.*

V. *Hinc sequitur omne, tam quod est, quàm quod non est, intentionale esse posse.*

7 Vnius verè & per se pars nulla est in actu. Arist. 7. Metaph. cap. 13. & cujus quælibet pars est in actu, id unum tantùm est per accidens.

I. *Sub-*

stantia igitur & magis ens, & magis unum est quàm acci-

II. Concretum nullum est unum.

III. Sed cùm maximè omnium unum sit, cujus omninò nulla est pars una substantia erit magis unum quàm alia.

IV. Numerus verò, quanquã συνθεσις μονάδων, unum erit per se.

V. Vnitates itaque in numero non sunt actu, & ideo dixit Arist. 7. Metaph. text. 49. ἢ γὰρ οὐχ ἓν, ἢ δυὰς, ἢ οὐκ ἐνεστὶ μονὰς ἐν αὐτῇ ἐντελεχείᾳ.

VI Quæcunque pluribus constant partibus non cõtinuò simpliciter pura censenda sunt.

VII Totum idcirco non est sua partes, sed essentialiter ab iis distinguendum est.

8 Nonens nec unum est, nec multa, nec unum est multitudinis unùm, nec multitudo unius multitudo, sed sunt unum & multa, ũt divisibile & indivisibile, teste Arist.

I. Privativè igitur non autem contradictoriè aut relativè opponuntur unitas & multitudo.

II. Vnitatem verò quantum ad entitatem (est enim τῶν πολλαχῶς λεγομένων) quam dicit vel significat quomodo multitudinem constituit & interna ejus est mensura etiam relativè multitudini, adversari non est negandum.

III. Cùm igitur unitas non tantùm indivisibilitatem, quanquam sola quidem formalem ejus rationem complet, verumetiam id in quo fundatur dicat vel significet, pura privatio non est censenda.

IV. Hinc est quòd dicat Arist. unum & multa inter se contrariari.

Soli Deo gloria.